

enim requiritur implicita saltem et confusa voluntas contractum hunc ut sacramentalem celebrandi, quæ esse nequit in iis, qui nullam omnino legis Evangelicæ habent notitiam.

ARTICULUS IV.

QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI MATRIMONII?

305. Duas in classes circa præsentem controversiam dividuntur Doctores hodie: *Prima* eorum est, qui, duce potissimum Melchioro Cano in opere de Locis Theologicis, ministrum hujus sacramenti asserunt sacerdotem esse, qui virum et mulierem certa verborum forma simul jungit, inter quos præcipue numerantur Estius, Sylvius, Juenin, Tournely, Habert, et quidam alii præsertim Galli. *Altera* aliorum est et quidem, teste ipsomet D. Habert, *communis apud Canonistas et Theologos tum veteres, tum recentiores*, volentium, virum et feminam contrahentes esse proprios hujus sacramenti ministros, ita ut hi sibi invicem, vir mulieri, mulier viro, hoc sacramentum administrent. Cui sententiæ in quæstione, quæ fidem tam propinque attingit, tanto facilius subscribendum censeo, non tantum, quod pro hac solidissimæ rationes pugnent, sed et tanta sit Doctorum omni ævi auctoritas et consensus, quæ plurimum habere ponderis debet in quæstionibus ejusmodi, et vel maxime apud eos, qui ubique tutiora et probabiliora se alias rimari et sectari profitentur. Quia tamen adversariorum aliqui, ut Honoratus Tournely hic, cupiunt deponi præjudicia, quæ ex tanta auctoritate et numero Doctorum huic sententiæ faventium proficisci possent, et rem controversam librari ex rationum momentis, demus hoc Doctori Parisino, sane honoratissimo, nec ad auctoritatem provocemus, nisi dum ipsi provocant adversarii. Igitur

306. *Dico*. Minister sacramenti matrimonii non est parochus, vel sacerdos, sed sunt ipsi contrahentes, sacramentum hoc sibi mutuo administrantes. Ita sententia communis cum S. Thoma in 4. d. 28. ad Hannib. d. 26. q. un. a. 1. ad 1. et alibi.

Prob. I, Ex Concilio FLORENTINO, quod in Decreto §. *septimum*. ita inquit: *Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia secundum Apostolum, causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsentibus expressus*. Ex quo sic argumentor: juxta Florentinum causa efficiens matrimonii est consensus externe expressus; atqui hic consensus non a sacerdote ponitur, sed a contrahentibus; ergo. Hoc argumentum reticet D. Habert; dissimulant alii, enervare conatur Tournely, quocum

Respondent: Concilium loqui de matrimonio, ut contractus civilis est, non ut sacramentum est; matrimonii priore modo sumpti causam effectricem esse consensum contrahentium; posteriore modo sumpti causam efficientem esse sacerdotem vel parochum. Idque, aiunt, ostendit mutata loquendi ratio, qua alias uti solet Eugenius in cæteris sacramentis; statim enim ac dixit v. g. *primum sacramentum est Baptismus*, addit; *hujus sacra-*

menti materia est, etc. nimirum ne rem figeret in scholis hinc inde agitam. Sed

307. *Contra est*; quod Concilium loquatur de matrimonio ut sacramento. 1º. Quia eo loco ex professo vult docere Armenos in iis, quæ pertinent ad sacramentorum novæ Legis essentiam, ut profitetur palam initio hujus capituli: *Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum faciliiori doctrina sub hac brevissima redigimus formula*. 2º. Armeni nec petebant instructionem circa causam effectricem matrimonii in ratione contractus civilis; nec tali instructione egebant, cum lateret neminem, contractum a consensu contrahentium perfici. 3º. Si Concilium non loqueretur de matrimonio ut sacramento, nihil plane tradidisset Armenis de materia, forma, et ministro hujus sacramenti, quod tamen de aliis sex sacramentis fecerat, et de singulis se facturum promiserat, ut dictum; adeoque doctrina Concilii manca esset, nec stetisset promissis, quod sine ejus injuria dici non potest. 4º. Quia eo loco clare declarat, se matrimonium ut sacramentum explicandum suscipere, cum dicat: *Septimum est sacramentum Matrimonii*. Ut adeo, his singulis collectis, sequatur, vel Concilium loqui de matrimonio ut sacramento, vel nihil dixisse, dicendo, quod a nemine petebatur, et omitiendo id, quod necessario explicandum erat.

Nec refert, quod postea simpliciter dicat: *Causa efficiens Matrimonii est*, etc. non enim ita loquitur, *ne figeret rem in scholis hinc inde agitam*, ut putant adversarii; nulla enim prorsus erat tempore Concilii Florentini hac de re in scholis controversia: Melchior Canus enim, qui primus adversæ sententiæ propugnator communiter habetur, et fuit, Concilio Florentino longe posterior est; sed communis erat tum temporis sententia, si forte unus excipiat Guillelmus Parisiensis, ministros esse ipsos contrahentes: dixi: *si forte unus*, etc. nam de mente Guillelmi pluribus dicitur infra. Interim *permissio* hic tantisper Guillelmum aliter sensisse, gratis tamen dicitur, Synodum noluisse hac in re instruere Armenos, nec declarare mentem suam ob singularem unius viri opinionem, omnibus contrarium unanimiter sentientibus. Certe Magister et aliqui Canonistæ veteres, magnæ tum temporis auctoritatis laudati art. sup., docuerant sacramentum matrimonii non conferre gratiam ex opere operato; nec tamen Doctorum istorum auctoritas obstitit, quominus Synodus definiret, omnia novæ Legis sacramenta, consequenter et matrimonii sacramentum continere gratiam, illamque digne suscipientibus conferre; et quare igitur unius Guillelmi auctoritas obfuerit, quominus synodus juxta communem Doctorum omnium sententiam declararet causam effectricem matrimonii, ut sacramentum est?

Nec dicant adversarii, satis fuisse Synodo docere Armenos, matrimonium esse sacramentum. Nam 1º. sicut satis non erat Synodo docere eos Baptismum, Confirmationem, etc. esse sacramenta, sed simul eos de materia, forma, et ministro cæterorum sacramentorum instruere debuit, quia ita postularent Armeni, et se facturam Synodus promiserat; ita hic. 2º. Quia, si Synodus judicasset, præter contrahentes etiam sacerdotem, vel hunc solum ministrum esse, neque hoc expressisset, occasionem dedisset Armenis in

re gravissima errandi; quid enim pronius erat inferre Armenis juxta verba Concilii, *causa efficiens matrimonii*, etc. quam eosdem esse ministros sacramenti, qui contractus? Sicut enim Synodus cuilibet sacramento suum assignaverat ministrum, ita jure inferre poterant, quod etiam hic assignaverit. Ergo non poterat satis esse Synodo docere matrimonium esse sacramentum, sed simul hujus ministrum exprimere debuit; cumque nihil de sacerdote dicat, sed contrahentes simpliciter dicat *causam efficientem matrimonii*, sequitur, eos quoque ex mente Concilii esse causam efficientem sacramenti, sive ministros.

Verior igitur ratio, ob quam Synodus dixit, imo dicere oportuit, *causa efficiens Matrimonii*, non autem, *causa efficiens hujus sacramenti*, illa est, ne doctrina Synodi redderetur obscura, et ne verba *hujus sacramenti* ob particulam *hujus*, quæ substantivum sibi vicinius demonstrare solet, referri possent ad *conjunctionem Christi et Ecclesiae*, de qua dixerat immediate antea (vide supra verba Concilii) sicque præcideretur omnis occasio erroris; contrahentes enim licet causa efficiens sui consensus sint; quod tamen is sit signum conjunctionis Christi et Ecclesiae, hoc non habet a contrahentibus, sed ab institutione divina.

Prob. II. Ex Conc. Tridentino quod Sess. 24. de Reform. Matrim. ex professo et exacte tradit doctrinam de sacramento matrimonii, nullum omnino discrimen statuit, quantum ad ritum et constitutiva matrimonii, ut est sacramentum novæ legis, et ut fuit in officium naturæ ante legem evangelicam; sed præcise ait, matrimonium, ut est in lege nova, differre a matrimonio, ut erat ante legem evangelicam et in officium naturæ, quod hoc non causarit gratiam, illud vero causet. Ergo ex Concilio matrimonium non habet alium ministrum, materiam, formam, quam habuerat antea, ut erat in officium naturæ: *Subs.* Atqui ante legem evangelicam matrimonii minister erant ipsi contrahentes; ergo.

308. *Si respondes*: Licet Trid. assignet differentiam matrimonii, ut est in lege nova, a matrimonio, ut erat in officium naturæ, quod priori Christus promeruerit vim causandi gratiam; non ideo excludere alia, ut: quod requirat sacerdotem ministrum. *Contra est*, quod in materia dogmatica propositiones præcisivæ per se loquendo æquivalent exclusivis, sive particularis universali, ut habet axioma merito apud omnes receptum, ne alias vacillent pleræque Constitutiones dogmaticæ, siquidem plerumque tradantur sine additis expresse particulis exclusivis. Dixi: *per se loquendo*; nisi scilicet aliunde contrarium constet, vel Concilium declaret aliter; sed neutrum hic habetur, ut patebit partim ex *prob. seq.* partim solutione objectionum.

Prob. III. Ex eodem Tridentino, evertendo fundamentum sententiæ contrariæ. Tridentinum igitur Sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 1. sic habet: *Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur; ubi parochus viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, etc. vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum.* Ex quo sic argumentor: Si sacerdos esset minister matrimonii, ut hoc sacramentum est; ergo quia jubetur proferre hæc

verba: *ego vos in matrimonium conjungo*, etc. quæ formam continent, quæ perficitur sacramentum: atqui falsum est per hæc verba a Tridentino indicari formam hujus sacramenti; ergo. *Maj.* ab adversariis admittitur; nam ut ait Honoratus Tournely hic, si data opera voluisset Synodus innuere sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii, et verba, quibus contrahentes conjungit, esse formalia, aut quasi formam, non potuisset uti verbis significantioribus. Et ratio est, quia imprimis ministri est proferre formam: deinde vero verba, quibus parochus sponsis postea benedicit, rationem formæ habere non possunt, quia hæc benedictio adhibetur, postquam sacerdos pronunciavit verba illa: *ego vos in matrimonium*, etc.; ergo benedictio illa secunda supponit jam matrimonium in omni suo esse constitutum. Taceo alias rationes, quibus hoc probari posset, cum hoc ab adversariis non negetur. Ergo si quæ verba sacerdotis habent rationem formæ, illa, *ego vos*, etc. habere oportebit. Igitur

Prob. min. I. Quia Tridentinum cit. loc. præcise in eo versatur, ut præcaveat, ne matrimonium contrahatur cum aliquo impedimento; ut aboleat matrimonia clandestina; hoc ut obtineat, jubet præmitti denunciationes publicas; tum præscribit modum, quo deinceps celebrandum matrimonium, scilicet quo impedirentur mala ex matrimoniis clandestinis oriri solita, ac deinceps constet de contracto matrimonio; hinc jubet illud celebrari *in facie Ecclesiae*, dicente parochi hæc, vel similia, juxta cujusvis provinciae ritum: *ego vos conjungo*, etc. Denique decretum suum his verbis proponit: *Qui aliter quam præsentem parochi vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit.* Ubi vides, ad valorem præcise requiri *præsentiam parochi*, nulla enim fit mentio verborum ejus; ergo nulla verisimilitudine dicitur, verba illa, *ego vos*, etc. esse de essentia, vel esse formam essentialem; sed tantum sequitur, nec plus, quam referenda esse ad ritus accidentales, quibus volebat celebrari posthac matrimonium in facie Ecclesiae; quin ideo inquit: *juxta cujusvis provinciae ritum.* Sed hoc amplius patebit ex sequentibus probationibus.

309. *Nec dicant* cum Ludov. Habert, in decreto Tridentini nullam æquidem mentionem fieri sacerdotalis benedictionis; sed tamen nec ipsum Concilium, nec Congregationem Cardinalium pronunciasset, matrimonia contracta, præsentem parochi, sed reluctante, vel saltem nulla verba proferente, esse sacramenta. Nam

R. 1º. Ex eo, quod Tridentinum in decreto *expressam* mentionem non fecerit talia matrimonia esse sacramenta, plus non sequitur, quam sententiam contrariam non esse aperte falsam, sed quomodo adversarii positive probabunt ex Tridentino, quod ipsis incumbit, verba illa sacerdotis, *ego vos*, etc. esse potius de essentia sacramenti, quam pertinere ad ritus præscriptos ex præcepto, sicut cætera ante decretum posita, cum in decreto ipso, cui maxime inhærendum, ad valorem præcise requiratur præsentia parochi: *qui aliter, quam præsentem parochi, etc.?*

R. 2º. *N. suppos.* Necesse fuisse, ut Tridentinum vel *expresse* pronunciaret talia matrimonia esse sacramenta: sequebatur enim hoc per se; quia

Tridentinum agebat de matrimonio, non ut præcise contractus profanus et civilis est, sed ut sacramentalis simul est, saltem consecutive. Et hoc fateri debent adversarii, nolint, velint; cum alias necessario fundamentum ipsorum corruat: si enim Tridentinum hoc cap. 1. non loquatur de matrimonio ut sacramento simul, saltem consecutive; quomodo igitur prætere audent, hæc verba sacerdotis: *ego vos conjungo*, etc. esse formam essentialem matrimonii ut sacramenti, cum hoc nec Concilium pronunciet, nec Congregatio Cardinalium? Unde adversarii dicendo: licet in decreto mentio non fiat sacerdotalis benedictionis, sive verborum *ego vos*, etc.; non tamen pronunciasset Concilium, nec Congregationem Cardinalium matrimonia contracta præsentate parochi, sed reluctante, vel saltem nulla verba præferente, esse sacramenta; hoc, inquam, dicendo destruunt, quod ex parte alia ædificare conantur. Taceo, nullo prorsus fundamento dici posse, Concilium a contractu legitimo excludere voluisse rationem sacramenti; ad contractum vero legitimum requirit *præsentiam parochi et testium*; ergo his habitis habebitur contractus legitimus, et consecutive sacramentum; sicut iis non habitis non habetur contractus legitimus, nec consecutive sacramentum. Quare

R. 3^o. *in forma D.* Non pronunciavit Concilium explicite, signate talia matrimonia esse sacramenta *C.* non declaravit hoc exercite, implicite *N.* Agebat enim de matrimonio, etiam ut sacramento, ex dictis.

Prob. II. eadem min. Si Tridentinum judicasset hæc verba sacerdotis: *ego vos conjungo*, etc. esse formam hujus sacramenti; ergo non dixisset, ut sacerdos vel ea diceret, *vel similia juxta cujusvis provincie ritum*. *Prob. seq. 1^o.* Quia inauditum est in Ecclesia formas essentielles sacramentorum relinquere arbitrio, ut quomodocumque proferantur, licet per verba etiam æquipollentia, cum in tanta diversitate facile irrepere possit mutatio quoad substantiam, et tam multiplex discrepantia, licet solum accidentalis, dedecet sacramenta. Unde juxta communem Theologorum peccat, qui verba formæ essentialis mutat in sola æquipollentia pro *baptizo*, dicendo *mando*, vel *abluo*; et Florentinum cuilibet sacramento verba formæ determinata apposuit. Ergo si Tridentinum judicasset ea verba esse formam essentialem, nunquam ea arbitrio provinciarum reliquisset. 2^o. Quia noverant Patres in variis provinciis adhiberi verba non solum materialiter diversa ab illis: *ego vos in Matrimonium conjungo*; sed etiam diversa formaliter quoad substantiam, sive sensum; talia refert Dominicus Sotus, qui Concilio interfuit in 4. dist. 26. a. 3. ubi de hac forma: *ego vos*, etc. sic ait: *Neque est universalis in Ecclesia; sed alii dicunt: ego vos sponso, et Sacramentum confirmo; et alii: quos Deus conjunxit, homo non separet; atque alii aliter*. Et recte; sic in Rituali Ecclesiæ Constantiensis hæc forma legitur: *Matrimonium per vos contractum secundum ordinem matris Ecclesiæ ego auctoritate, qua hac in parte fungor, ratifico, confirmo, et benedico, in nomine Patris*, etc. Similiter in Rituali nostro Herbipolensi habetur: *Ideo Matrimonium per vos contractum confirmo, ratifico, et benedico: in nomine Patris*, etc. Atqui dici non potest Tridentinum voluisse permittere formas ejusdem sacramenti etiam diversas quoad sensum et substantiam; hoc enim magis inauditum, imo absurdum, et falsum esse convincitur inductione aliorum sacramentorum, quorum nullum habet plures formas quoad sensum et substantiam diversas, licet forte quæ-

dam perfici possent per formas, quarum altera modo licet indicativo, altera deprecativo proferatur, modo tamen utraque eundem sensum exprimeret; et ratio est, quia si aliqua forma sit essentialis alicujus sacramenti, non potest pati formam aliam quoad sensum diversam, vel hoc ipso non erit essentialis. Ergo. Unde

Prob. III. ead. min. Si Tridentinum per hæc verba: *ego vos in Matrimonium conjungo*, voluisset indicare propriam hujus sacramenti formam; ergo sine his, vel saltem similibus quoad sensum, nunquam potuisset perfici sacramentum matrimonii; quia ex dictis immediate supra non possunt esse plures formæ substantialiter diversæ ejusdem sacramenti; consequenter errassent variæ particulares Ecclesiæ ante Tridentinum, adhibentes formam, quæ sensum simpliciter diversum exprimit, qualis e. g. *quos Deus conjunxit, homo non separet*. Atqui hoc dici non potest; quia alias errassent in re capitali, administratione sacramenti, et proinde Concilium illas debuisset corrigere; saltem confirmare non potuisset; cum tamen non correxit; sed confirmavit, cum diceret *juxta cujusvis provincie ritum*; ergo non erraverant illæ Ecclesiæ, et matrimonium in illis contractum cum talibus verbis, ineptis ad constituendam formam sacramentalem, erat sacramentum; vel alias Concilium, illas non corrigendo, male functum esset suo officio.

Prob. IV. ead. min. Noverant omnes Patres Tridentini in nulla fere Ecclesia particulari verba illa: *ego vos in Matrimonium conjungo*, haberi pro forma essentiali hujus sacramenti; ergo verisimile non est, quod Synodus per verba illa voluerit indicare formam hujus sacramenti essentialem. *Antec.* habetur ex Historico Concilii, Cardinale Pallavicino dicente: *sic enim omnes fere sentiebant*. Et vero nullum formæ illius vestigium reperitur apud Theologiæ scholasticæ principes et patres Hugonem, Magistrum sententiarum, S. Thomam, Scotum, etc. imo nec apud Guillelmum Parisiensem; nec in SS. Patribus, nec in Canonibus alicujus Concilii ante Tridentinum, nec in Ritualibus, quæ ante illud in usu erant; nam Ritualia, ad quæ provocant adversarii, quæque hæc verba habent: *ego vos*, etc. fere pleraque edita sunt post illam Sess. 14. Trid. Nam sessio hæc celebrata fuit sub Pio IV. die 11. Nov. 1563. e contra Manuale Atrebatense, in quo leguntur illa verba Tridentini, editum fuit anno 1600., Yprense 1576., Mechliniense 1580., de uno vero alteroque Rituali, uti et uno alterove Concilio particulari dicitur in object.

Plura momenta pro conclusione colligi possunt ex objectionum solutionibus, ad quas progredior, ne plus æquo congerere hic argumenta videamur, quorum alia adhuc alii pertractant.

310. *Obj. I.* cum Cano. Nec ex Scriptura, nec Traditione probari potest, matrimonium sine ministro Ecclesiæ contractum esse sacramentum; ergo ut sacramentum sit requiritur minister Ecclesiæ.

Conf. 1. Hæc videtur fuisse mens Concilii Florentini definientis omnia sacramenta perfici tribus: rebus tanquam materia; verbis tanquam forma; et persona ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: atqui hoc falsum esset, si sacerdos non esset minister; 1^o. quia si contrahentes essent ministri, possent contrahere per signa, vel nutus sine verbis; 2^o. quia

laicus non potest esse minister Ecclesiae, et multo minus femina; cumque fere semper idiotae sint, non habent intentionem requisitam.

Conf. 2. Sacramenta sunt ceremoniae sacrae, et ad actus religionis pertinent: atqui matrimonium contractum per sola conjugum verba nihil habet sacri; quid enim sacri reperiri potest in verbis illis: *ego te accipio in meam: ego te accipio in meum*; cum etiam ethnicis et infidelibus communia sint?

R. 1^o. *Retorqueo*: Nec ex Scriptura, nec Traditione probari potest, matrimonium sacramentum non esse, nisi sacerdos proferat verba, quae sint forma hujus sacramenti; quod tamen probandum incumbit adversariis, cum a communi et antiquissima sententia recedant, et novum quid statuunt; asserenti enim incumbit probatio. Non possunt autem hoc probare *ex Scriptura*; in hac enim nullibi legitur vestigium aliquod mutationis cujusdam factae circa matrimonium, dum elevatum fuit ad sacramenti dignitatem, sed dum de matrimonio fidelium loquitur Ephes. 5. ait solummodo: est *sacramentum magnum*, eo quod significet unionem Christi et Ecclesiae; unde nos supra cum Patribus Tridentinis intulimus: ergo et gratiam, quae nempe ad illius conjunctionis similitudinem conjuges inter se uniat charitate. Non *ex Traditione*; contrarium enim ostendimus ex duobus Conciliis generalibus in conclusione; alii vero Patres et Concilia praecise et non plus docent, quam matrimonium fidelium esse sacramentum; quin ullibi dicerent, non esse sacramentum sine forma a sacerdote prolata; et licet *sacerdotalis benedictionis* meminerint, nullus tamen SS. Patrum, nullum Concilium in ea reponit formam hujus sacramenti; ut patebit ex dandis ad eorum testimonia responsionibus.

R. 2^o. *N. Ant.* Nam primo ex Scriptura sufficienter hoc probatur eo ipso, quod ex ea colligant Patres Tridentini, matrimonium sacramentum esse, quia est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae; quo inferimus, quod etiam sit signum gratiae, ut ante dictum; ergo quando ponitur praecise hoc signum conjunctionis Christi et Ecclesiae, ponetur etiam signum gratiae, hoc est, sacramentum. Atqui dum praecise ponitur verus matrimonii contractus, ponitur hoc signum conjunctionis Christi et Ecclesiae; hoc enim signum nihil aliud est, quam ipsa conjunctio conjugalis; ergo eo ipso, quod ponatur verus matrimonii contractus inter fideles, ponitur etiam signum gratiae, sive erit sacramentum; ergo sicut soli contrahentes, secluso quocumque alio tanquam causa efficiente, perficiunt contractum, ita soli sunt ministri hujus sacramenti. Vel igitur ea probatio sufficiens erit; vel si quid plus exigant adversarii ad hoc sacramentum ex institutione divina, ex Scriptura, de qua modo sermo est, ostendant, quod nunquam poterunt. Traditio vero nobis non obstat; imo favet ex dictis resp. praec.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. Maj. Et verbis semper *formalibus* tanquam forma *N.* vel *formalibus*, vel *aequivalentibus* in matrimonio *C.* Hoc enim de matrimonio declarat synodus, dicens, ad hoc requiri verba *regulariter*, ut indicaret, tametsi in caeteris sacramentis requirantur necessario verba formalia, in matrimonio tamen, cum consistat in contractu, sufficere alia signa loco verborum, quibus consensus exprimitur.

Si vero sermo sit de ministro, concedimus hunc etiam necessarium esse in sacramento matrimonii; sed negamus, debere esse distinctum ab ipsis

contrahentibus juxta dicta. Et *ad prob. min. R. C. primam* et *D. alteram*. Non potest esse minister in iis sacramentis, in quibus requiritur potestas ordinis *C.* in quibus haec non requiritur *N.* Constat hoc in baptismo, quem laicus semper confert valide; et in necessitate etiam licite, utique tanquam minister Ecclesiae saltem extraordinarius. Et si velis, tantam in illis esse ignorantiam, ut non habeant intentionem requisitam, dicas etiam, a laico extra necessitatem non posse valide conferri baptismum. Qualis vero intentio requiratur et sufficiat, vide de sacramentis in genere, et facile hic scrupulus evanesceat.

Ad Conf. R. 1^o. N. min. Ad prob. D. Verba illa nihil habent sacri, si spectentur praecise secundum se, et independenter ab institutione Christi *C.* si spectentur ut instituta a Christo ad significandam et causandam in conjugibus gratiam *N.* Hoc tamen non praestant in ethnicis et infidelibus, quia respectu eorum non sunt instituta ad causandam gratiam.

R. 2^o. Verba illa, licet sint communia ethnicis et infidelibus, possunt esse sacra juxta adversarios in ratione materiae; ergo cur non etiam in ratione formae?

311. *Obj. II.* cum eodem et Lud. Habert. Soli sacerdotes habent vi sacramenti ordinis, ut sint legitimi Christi et Ecclesiae ministri ac dispensatores mysteriorum Dei juxta illud 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo etiam illis debet competere potestas conferendi sacramentum matrimonii, quod usque adeo dicitur ab Apostolo *sacramentum magnum* Ephes. 5. et nullo modo laico, vel feminae, quam etiam idem Apostolus 1. Cor. 14. prohibet loqui in Ecclesia.

Conf. 1. In aliis sacramentis sacerdos est minister: item, in aliis sacramentis nequit esse idem suscipiens et minister; ergo idem dicendum est de matrimonio.

Conf. 2. Non alio modo matrimonium fidelium evadit sacramentum, quam poenitentia: atqui haec non evadit sacramentum, nisi per ministerium sacerdotum; ergo nec matrimonium.

R. *D. Ant.* Soli sacerdotes sunt legitimi ministri ac dispensatores mysteriorum Dei, respectu quorum requiritur potestas ordinis, vel consecratio ministri *C.* in quibus ea non requiritur *N.* Sic laicus, item femina baptizat valide, quia ad valorem baptismi Christus non requisivit consecrationem ministri.

Si ais: hoc esse ob specialem baptismi naturam utpote summe necessarii; R. Sicut ob specialem naturam baptismi tanquam summe necessarii, ad valorem ejusdem non requiritur in conferente consecratio; sic ob specialem naturam matrimonii utpote consistentis in contractu infertur, contrahentes sicut valide et licite contractum, sic sacramentum conficiunt, quia Christus instituendo hoc sacramentum, contractum omnino in suo esse reliquit. Dicitur quidem matrimonium ab Apostolo *sacramentum magnum*, sed ideo; quia signum est conjunctionis Christi et Ecclesiae, ut patet legenti verba Apostoli ad Ephes. 5. Dum vero Apostolus 1. Cor. 14. v. 34. prohibet mulierem loqui in Ecclesia; vult, ut non doceat publice, praedicet, interpretetur verbum Dei, de eo non disputet; ut patet legenti caput hoc 14.

ideoque continuo subdit jubens *mulieres esse subditas*, utque *viros suos interrogent domi, si quid discere velint*.

Ad Conf. 1^{am}. R. 1^o. Si hoc argumentum aliquid probet, valebit etiam hoc alterum: alia sacramenta consistunt in re transeunte, scilicet actione; ergo etiam sacramentum Eucharistiæ, quod est Lutheranorum. Fateamur igitur, quodlibet sacramentum habere peculiare quid. Unde

R. 2^o. ad primum: Disparitas est, quod solum sacramentum matrimonii servet naturam contractus; hunc vero efficiunt contrahentes. *Ad alterum N. Ant.* sumptum *universaliter*; nam in Eucharistia potest esse idem suscipiens et minister, scilicet sacerdos. Quoad alia sacramenta disparitas est voluntas Christi: ratio convenientiæ autem e. g. quoad baptismum; quia hic est generatio spiritualis; unde sacramentum regenerationis dicitur; nemo autem seipsum generat. Quoad pœnitentiam; quia hoc sacramentum instituire volebat Christus ad modum iudicii, in hoc vero iudex et reus non sunt idem. Quoad ordinem; quia nemo dat, quod non habet; ergo connaturaliter loquendo laicus sibi ipsi non confert ordines. Omitto mala, quæ in Ecclesiam redundare possent, si quis sibi ipsi ordines, vel aliud quodlibet sacramentum conferre indistincte posset, quæ Christus præcavere voluit. E contra matrimonii sacramentum in contractu consistit; hunc vero ipsi contrahentes perficiunt. Deinde etiam in ipso matrimonio suscipiens et minister suo modo distincti sunt; non enim quilibet contrahens sibi, sed alter alteri hoc sacramentum ministrat, ut pluribus exponetur artic. seq.

Ad Conf. 2^{am}. R. N. Maj. Ratio patet ex diversa utriusque sacramenti natura ex modo dictis.

312. *Obj. III.* cum Sylvio. Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim. jubet parochum, ut habito sponsorum consensu hæc verba proferat: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris*, etc. ergo hæc verba debent habere rationem formæ sacramentalis. *Prob. Cons.* Vi horum verborum parochus sponsos vere conjungit, nec tantum declarat eos jam conjunctos esse; verba enim illa debent sumi juxta veram ac naturalem significationem, quando nihil obstat, vel nihil sequitur contra fidem aut bonos mores, uti hic; ergo etiam haud dubie formam continent. *Conf.* Dum dicit sacerdos: *Ego te absolvo: Ego te baptizo*, vere ipse solus baptizat, absolvit, eaque verba sunt vera forma; ergo etiam hic.

R. 1^o. D. Ant. Jubet proferre hæc verba determinate *N.* hæc vel similia *C.* Hoc autem non faceret Synodus, si judicasset hæc verba esse formam sacramenti. Vide rationes hujus in conclusione.

R. 2^o. N. Cons. ob dicta ibidem de hoc Concilio.

Ante resp. ad probationem *obsero*, plerosque adversarios esse eosdem, qui in forma sacramenti ordinis a nobis dissentiunt, negantes hæc verba: *accipe Spiritum sanctum*, habere rationem formæ etiam partialis, et consequenter per hæc verba conferri Spiritum sanctum vel gratiam; sed tantum aiunt his declarari expressius potestatem et gratiam collatam. Liceat igitur argumentum hoc in ipsos retorquere adversarios: vi horum verborum, *accipe Spiritum sanctum*, vere datur Spiritus sanctus, nec ordinans tantum declarat jam datum esse Spiritum sanctum; verba enim illa debent sumi juxta veram ac naturalem significationem, quando nihil sequitur contra

fidem aut bonos mores, ut hic contingit; in vera autem et naturali significatione verba illa supponunt nondum datum fuisse Spiritum sanctum; ergo etiam haud dubie formam continent. Viderint igitur, quomodo suum ipsi argumentum solvant; quidquid vero responderint, nobis servire poterit, quanquam expeditius illud solvimus: nam in forma

Ad prob. Cons. R. D. Ant. Vi horum verborum parochus vere sponsos conjungit coram Deo et simpliciter *N.* vere in facie Ecclesiæ, faciendo, ut habeantur pro legitime conjunctis *C.* Et hæc est etiam vera conjunctio, non minus, quam vere absolvi dicitur ab excommunicatione, qui, postquam ante jam secreto ab ea fuerat absolutus, deinde palam absolvitur a iudice per verba hæc: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis, in nomine Patris*, etc. Nec plus voluit Trid. quod ideo in decreto ipso nec verbulo meminit istorum verborum, sed solum ait: *qui aliter, quam præsentente parochus*, etc. Vid. in conclus. Igitur illa conjunctio parochi est conjunctio, quantum ad forum externum et Ecclesiam, extrinseca autem substantiæ sacramenti. Alii malunt vocare conjunctionem approbativam, scilicet prioris per sponsos expressione consensus sui.

Ad Conf. R. Disparitas est; quod in Baptismo formam aliam assignare non possumus, similiter in Pœnitentia; pro utroque enim hoc sacramento hanc formam determinavit *ut formam*; sed contrarium colligitur pro matrimonio, et probavimus ex Conciliis Florentino et Tridentino. Deinde cum sacramentum Pœnitentiæ sit ad modum iudicii, absolutio ab alio esse debet, qui iudex sit; Baptismus vero cum sit sacramentum regenerationis, etiam esse debet ab alio juxta resp. ad conf. obj. 3. Matrimonium vero sacramentum est consistens in contractu; quilibet vero seipsum obligare potest, imo quilibet seipsum obligat. Unde verba illa: *Ego vos*, etc. non possunt accipi in sensu prorsus vulgari pro conjunctione absolute et simpliciter tali; non quia alioquin sequeretur aliquid contra fidem et bonos mores, sed quia est contra naturam contractus, qui a solis contrahentibus esse potest tanquam ministris.

313. *Obj. IV.* cum eodem et cæteris ex auctoritate. SS. Patres, summi Pontifices, Concilia, et plurima Ritualia ita de nuptiarum benedictione loquuntur, ut necesse plane sit fateri, illam ipsi sacramento essentiam esse; ergo minister hujus sacramenti erit sacerdos. *Prob. Ant.*

1^o. Ex SS. Patribus. Nam TERTULLIANUS L. 2. ad Uxorem versus finem: *Unde sufficiamus*, inquit, *ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio?* S. BASILIUS homil. 7. in Hexamer. (opp. t. 1. p. 68. B.) *Jugum per benedictionem impositum distantium sit conjunctio.* S. AMBROSIIUS epist. 19. ad Vigilium (opp. t. 2. p. 844. B.) *Cum ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat.* Similia habent plures alii.

2^o. Ex summis Pontificibus. EVARISTUS epist. 1. et relatus c. *Aliter* 30. q. 5. *Connubia*, ait, *sine sacerdotis benedictione contracta, seu præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse.* SIRICIIUS epist. ad Himerium Tarracoensem cap. 4. (Labb. t. 2. p. 1019. A.) *Illam benedictionem, quam nuptiarum sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgres-*